


Börner

De  
otigire  
civitatum

1786





SPECIMEN POLITICVM  
DE  
ORIGINE CIVITATVM  
ET  
DE IVRIBVS  
ET OBLIGATIONIBVS  
EORVM  
QVI CIVITATEM CONSTITUVNT

OCCASIONE HOMAGII  
FRIDERICO GVILIELMO II.

REGI BORVSSORVM,  
MARCHIONI ET ELECTORI BRANDENBURGICO  
SVPREMO DVCI SILESIAE ETC.  
WRATISLAVIAE IDIEBUS OCTOBRIS  
PRAESTITI

E D I T V M

AVCTORE  
IMMANVEL CAROLO HENRICO  
BOERNER

---

WRATISLAVIAE  
APVD GVILIELMVUM THEOPHILVM KORN  
CIO ID CCLXXXVI.

Lf 449

Rara temporum felicitate, vbi sentire quae  
velis et quae sentias dicere licet.

*Tacitus L. I. Hist. cap. I.*





## PROOEMIUM.

---

uae

Cum iam illud nobis propositum sit, ut alio tempore *statuum*, quos vocant, *morbos* recenseamus et illustremus, necessarium erit, cuiusvis *status* *integritatem secundamque valetudinem* antea declarare atque ostendere; tum enim eo melius rectiusque de eius aduersa valetudine iudicium ferre licebit. Hinc libelli nostri descriptio tota sententiarumque ordo intelligetur.

\* 2

Prī-

Primum igitur, non ICTORUM  
castra ingressuri, sed explicaturi  
tantum ea, quae ad rerum ciuilium  
et philosophiae practicae studiosum  
scrutatorem pertinent, hoc libello  
*de Origine Ciuitatum, deque Iuribus eas*  
*constituentium exponemus*, nam aut  
hoc aut nullo alio argumento ea-  
rum comprehenditur *sanitas veraque*  
*valetudo.*

Quemadmodum enim *is, qui cor-*  
*poris humani saluti subuenire conatur,*  
quiduis potius addiscet, quam, quae  
sic appellatur a medicis, *pathologiam,*  
nisi antea *physiologiae scientiam imbi-*  
berit animo; ita *politicus quoque*  
*mira somniabit de statuum morbis,*  
*nisi,*

nisi, qualis illorum sit natura, ratione bonae valetudinis integraeque praeiuae conditionis considerata, intellexerit.

Antequam vero ad ipsam rem accedamus, videtur id nobis esse agendum, ut certos quosdam terminos ponamus, quibus totius libelli argumentum definiatur, et ad quos mens cum scribentis tum legentis dirigatur.

Si *status* cuiusdam *integraliam validamque conditionem* cognoscere et describere lubet:

Primum: rationem perpendamus ne-  
cessum est, qua commotum genus hu-  
manum regna considerit;

Deinde: ipsorum solidum verumque  
regnorum scopum et finem et

Tandem: iura et obligationes eorum,  
qui regna constituunt.

Eadem regni, quod tanquam *corpus*  
*mora*le considerare licet, ratio et  
conditio esse solet, quae est *physici*.  
Si omnes humani corporis partes  
consilio, cuius causa adsunt, satis-  
faciunt, tunc *integrum*, *sanum vali-*  
*dumque recte dicimus corpus; sanita-*  
*tis enim notio hanc vim habet, vt*  
indi-

indicet membra singula muneribus,  
a natura constitutis, expediendis  
inseruire, atque inter se ad finem  
omnibus communem amico nexu  
conspirare et inter se consentire.  
Quod si non sit, si contra accidat,  
*aegritudo* adesse dicitur. *Aegrum*  
*corpus* appellatur, si ad rite perficiendas  
partes suas minus sit aptum  
membrum vnum, vel membra corporis  
plura.

Denique instituti nostri ratio  
etiam eo maxime spectat, ut quid-  
quid *discriminis* intercedit inter sic  
dictas *noticias camerales*, quidquid  
ad earum proprietates spectat abso-  
lutas, quam clarissime, quantum

per


## VIII

---

per ingenii nostri tenuitatem liceat,  
e fontibus suis deriuemus: ne in  
easdem tricas spinosasque ea de re  
quaestiones incidamus, quas agita-  
vere, quorum e contentionibus ne-  
que respublica aliquam vtilitatem  
cepit, neque ingenio doctrinaeque  
aliquid lucis accessit.



SPECI-



## SPECIMEN POLITICVM

DE

ORIGINE CIVITATVM ET IVRIBVS  
EORVM, QVI CIVITATEM  
CONSTITUVNT.

---

### C A P V T . I.

*De causis, quibus ad constituenda imperia  
homines adducti fuerunt.*

---

§. I.

*Egestas Platonis reiicitur.*

**Q**uod attinet ad condendorum regnorum causam, variae fuerunt de ea viorum doctorum sententiae, aliis hanc, aliis illam adferentibus.

A

*Plato.*

*Platoni* visa est *egestas* sola regnorum causa \*); at quis non intelligit, hanc nullum admittere numen diuinum, nullamque vim caelestem, simul humanis casibus adspirantem?

Reram

\*) Ciuitas, mea quidem sententia, inde fit, quod nemo nostrum sit, qui per se singulatim satis valeat, quum potius multis rebus ei sit opus, arbitrarisne aliud extitisse ciuitatibus constituendis initium? v. *De rep.* l. 2. T. II. Opp., quae prodierunt 1578. fol. cura Henr. Stephani p. 369.

et l. 3. de legg. p. 677. Sic ergo constituamus, res humanas, quum eluvies illa extitit, vasta quadam horribilique solitudine involutas atque desertas, latissimae fertilissimaeque telluris regiones desolatas, pecorum summam penuriam extitisse, ut caeteris animalibus perditis vix boum caprarumque genus, et illud quidem rarum et infrequens, remanserit, in quo pascendo priscorum illorum temporum homines aegre vitam tolera-

Rerum enim omnium conditor,  
Deus, tot tantisque viribus exornauit na-  
turam, ut nulla res, ab eo creata, peni-  
tus perire vlo modo possit, nec datur  
vllus in statu naturali egenus homo, sed  
si premitur quisquam paupertate, igna-  
viae suae poenas dare solet. Nam non,  
vt debuit potuisse, occupauit, quod  
nullius fuerat. Immo nec vlla ratio in-  
telligi posset abundantiae ciuilis, si natu-  
ralis egestas vere esset accusanda.

Verum quidem est, multa vidisse  
*Platonem* vera et proba in iure naturae,  
at dolendum quoque est, non omnia  
bene cohaerere in illius doctrina. Da-  
mus ingeniosissimum esse scriptorem, fa-  
cundum, omni bene scribendi virtute et

A 2 laude

tolerarent. Ex rebus igitur hunc in  
modum constitutis eam emanasse ratio-  
nem ciuitatum condendarum, legum  
instituendarum, artium componenda-  
rum, rerumque huiusmodi rationes,  
quemadmodum hodie vigent.

laude merito clarum: at negamus, eum  
semper subtiliter satis rem examinasse.  
Interdum poetae similior est, quam phi-  
losopho, poetarum nempe more non  
pauca proposuit. Praesertim vero obser-  
vatur apud *Platonem* varietas quaedam  
opinionum, quae inter se non componi  
et conciliari possunt. *Socrati* suo mul-  
ta affinxit, quae cum simplicitate Socrati-  
ca et philosophia, qualis apud *Xeno-*  
*phantem* occurrit, non conueniunt.  
Miscuit Socratica cum *Aegyptiorum* fa-  
bulis et *Pythagorae*, *Parmenidis*, *He-  
racliti*, *Empedoclis*, *Orphei* opinioni-  
bus. v. *Io. Chr. Gottleber Animadu.* ad  
*Platon. Phaedonem* p. 162.

§. 2.

*Nec non quorundam opinio, quae ad*  
*τὸν ζῷον πολιτικὸν speßtāt.*

Non facile adduciunur, vt creda-  
mus *Boeclero* \*), *Hornio* \*\*) aliisque,  
homini-

\*) ad *Grot. I. I. c. 3. §. 6.* \*\*) de *Ciuit. c. 4. §. 6.*

hominem natura adiutrice ζῶον πολιτεύοντα esse appellandum, opinantibus.

Quae quidem opinio natales suos debet Aristoteli \*), qui nunquam instinetus istos irresistibiles, si sic dicere fas est, necessario innatos, veris argumentis ostendere potuit, nec hodie, nec olim in hominis natura reperiundos. Quare haec res est solius voluntatis humanae. Fac quoque, homines rapi ad societatem, nulla inde appetet imperii effecti imago, nec eo ipso parendi legibus aliquis est subiectus. Etenim natura nemini in alterum talem potestatem dedit. Instruxit illa omnes pari facultate, nec unum maiore iure, quam alterum, ornauit. Constituitur potius summa potestas pacto componendo, eos inter, quibus confertur, et qui eam conferunt, de quo plus infra docemus. Nemo hanc opinionem subtilius examinavit, meliusque refutauit, quam Conradi in singulari libello hac de re scripto.

A. 3

§. 3.

\* ) 1 Polit. 1 et 2.

*Nec minus metus Hobbesi.*

Quid vero mali accidisse putandum nouae doctrinae conditori, *Hobbesio*, cum metum, causam primorum regnum esse somniaret? Sic enim ratiocinatur: „Originem magnarum et diu- „turnarum societatum non a mutua ho- „minum benevolentia, sed a mutuo me- „tu extitisse \*).“

Etenim vero aut fallor ego omnino, aut rectius docere posse mihi videor, quiduis potius hoc efficere posse, quam metum. Nam hic ex malo formidabili ortus, indicat, desperare hominem de virium et subsidiorum validitate ad futura mala avertenda. Melius igitur ad effecta mali eum retuleris, nam malum, ut causam, mente extimescis. Illud vnum addo: quemadmodum metus deorum peperit superstitionem, quam recte

\* ) in Ciue c. 1. §. 2.

recte cum *Strabone* \*) ad anilium rerum  
deliramenta retuleris, sic metus mali le-  
vioris, quem iure lusum fati dixeris,  
quiduis potius, quam regni condendi  
fundamenta praebere potest. Praeclare  
igitur antiquus Poeta:

*Quem metuant, oderant;  
Quem quisque odit, perisse expetit.*

Nonne ii, a quibus mihi malum immi-  
nere videtur, aut, a me vim sibi illa-  
tam, conquerantur necesse est, aut mihi  
vita factisque persuadeant, fese non di-  
gnos esse, qui boni viri habeantur? Il-  
lud dum sit, suo vtuntur iure, a natu-  
ra sibi concesso, atque mala, ceruici  
suae imminentia, ipsi a se propulsare  
fludent. Quod ex arbitrio peragunt suo,

A 4 neque

\*) Superstitionis autores ut duces esse foe-  
minas omnes opinantur. Eae enim vero  
viros inuitant ad superuacuos nimios-  
que Deorum cultus et dies festos et ve-  
nerationes. At raro profecto vir cae-  
lebs ut sibi viuens inuenietur talis.

neque hoc facile ad mala referri potest,  
sed ad poenas, pro mea aduersus eos  
audacia, illis dandas. Hoc si fit, licet  
nobis iniuriam referre et vim vi repellere,  
nec praeterea cuiquam concessum est,  
se se his rebus negotiisque immiscere \*).

Alium mox committit errorem ille  
ipse meticulosus auctor, dum effinxit  
*discrimen* inter *civitatis originem naturalem* et *originem ex instituto seu instituuum*. „Qui se subiiciunt, inquit \*\*):  
„alteri propter metuun, vel ipfi, quem  
„metuunt, se subiiciunt, vel alicui alii,  
„cui confidunt, vt ab eo protegantur.  
„Priore modo faciunt bello victi, ne  
„vincantur. Prior modus initium habet  
„a potentia naturali, et dici potest *civitatis*

\* ) Metus arentes excutit, attonitis, stolidisque nos similes facit; vbi in rebus publicis se ingerit, omnia opprimit et animos aberrare facit. *Plato de rep. L. I.*

\*\*) *ibid. c. 5. §. 12.*

„tatis origo naturalis, posterior a con-  
 „filio et constitutione coeuntium, quae  
 „origo ex instituto est. Hinc est, quod  
 „duo sint genera ciuitatum, alterum  
 „naturale, quale est paternum et despo-  
 „ticum: alterum institutium, quod et  
 „politicum dici potest. In primo domi-  
 „nus acquirit sibi ciues sua voluntate, in  
 „altero ciues arbitrio suo imponunt sibi  
 „met ipsis Dominum, siue is sit unus  
 „homo, siue unus coetus hominum cum  
 „summo imperio.“

Discat, qui talia statuit, verna, di-  
 scat mastigia, nisi dominum tollit, tollit  
 rempublicam: priuata res est, non pu-  
 blica quae dominum habet. v. *Io. Mil-*  
*toni pro populo Anglicano defensionem,*  
*Londini 1651. 12. p. 12.*

*Plato docuit ex patribus familias  
 antiquissimis paulatim reges factos esse \*).*

A 5

Idem

\*) Nonne igitur primordium hoc fuerit  
 dominationis et imperii ciuilis? quum  
 homi-

Idem nonnulli alii vel maxime ex loco  
*Geneseos X.* coniiciunt. Sed merae haesitum  
 videntur conjecturae. Aliter et, mea min-  
 quidem sententia, recte sentit *Milton*, nam  
 dicens: „Pater et rex diuersissima sunt. te si  
 „Pater nos genuit, at non rex nos, sed est  
 „nos regem creauimus. Patrem natura con-  
 „dedit populo, regem ipse populus de- font  
 „dit sibi; non ergo propter regem po-  
 „pulus, sed propter populum rex est.“  
 l. c. p. 3.

## Extra

hominum fiunt conuentus in easdem se-  
 des eandemque familiam confluentium,  
 qui quidem propter illas publicas vasti-  
 tates dispersi et egestate compulsi cogan-  
 tur coetus instituere, in quibus is, qui  
 aetate antecellit, naturali quodam iure  
 imperandi autoritatem potestatemque  
 sibi vindicat: quae nimirum ex patre  
 et matre manauerit, quos illi, paren-  
 tes suos secuti, tanquam aves vnum  
 gregem efficiant: ac proinde patris im-  
 perio obedientes. C. 3. *de legg. T. II.*  
 p. 650.

co Extra omnem dubitationis aleam po-  
nae situm est, familiam omnia reliqua ho-  
nea minum instituta antiquitate superare;  
on, nam ex matrimonio indeque consequen-  
nt. te statu parentum et prolis omnis enata  
ed est Societas humana: vnde deinde oritur  
ura conflata familia. Alio vero, non hoc e-  
le- fonte, dominium repetit originem.

“ Seruitutis nulla macula adhaesit illis,  
qui ad normam iuris naturae vixerunt;  
ne libertinorum quidem nomen ipsis in-  
notuit. Post inductum demum domi-  
num ortum suum cepit seritus, nititur  
autem seritus nullo alio fundamento,  
quam quod egestas ponit.

*Barbeyraci* de his sententia adeo  
venusta, adeo polita est, vt a nobis si-  
lentio praeteriri non debeat. Locus ve-  
ro hic est: „Il seroit bien difficile de  
„s'imaginer, que ces peres de famille  
„se fussent d'abord formé l'idée d'une  
„société civile, et qu'ils en eussent pre-  
„veu et balancé exactement les avanta-  
„ges

„ ges et les inconveniens. C'est une plic  
 „ chose qui demande une longue expē port  
 „ rience, et il y a nulle apparence, que libe  
 „ le plan d'un si bel édifice ait été con- zny.  
 „ ceu et executé tout d'un coup, puis han  
 „ qu'aujourd'hui qu'il est formé depuis si P  
 „ tant de siecles, le commun des gens han  
 „ n'en comprend pas l'usage, la stru  
 „ cture et les beautés, connoissance, que  
 „ les personnes même, qui ont quelque  
 „ education, n'acquièrent qu'à force de  
 „ meditation et experiance. Il me sem- ad c  
 „ ble, que l'on ne fait pas ici assés de cu  
 „ reflexion à la simplicité des tems, aux ta c  
 „ quelles les sociétés civiles ont com- que  
 „ mencé, et que l'on a trop devant les ad  
 „ yeux la situation, où les choses sont gar  
 „ aujourd'hui. " v. *Droit de la nature et*  
 „ *des gens de Puffendorf l. 7. c. 2. §. 7.* lice  
 „ Nulla idonea de causa cum *Aristo-*  
 „ *toles* \*), tum eius affectae et interpretes,  
 „ qui in huius magistri verba iurarunt, tri- vim  
 „ plicem

\*) *Polit. l. 1. c. 8.*

uniplicem patrifamilias vindicare conantur  
xpe potestatem, in seruos δεσποτικὴν, in  
que liberos Βασιλικὴν et in uxorem πολιτι-  
con κήν. Videntur, qui sic sentiunt, ad  
ouis hanc doctrinam ea opinione impelli, qua-  
ui si paterfamilias statu in naturali triplicem  
hanc potestatem habuisset.

§. 4.

*Violentia ut causa excutitur.*

Nonnulli vt Bodinus \*) Violentiam  
ad causas regnorum falso retulerunt, nam  
cum violenter acturus vi externa adhibi-  
ta officium imperfectum ab altero extor-  
quere conetur, per se patet, neminem  
ad ea, quae vires suas superent, obli-  
gari, et sicut volenti nulla sit iniuria, sic  
licet repellere iniuriam ei, qui inuitus  
vim patitur.

Nonne inde bellum potius regna de-  
vastaturum, quam constituturum orietur?

Immo

\*) De Rep. I. I. c. 6.

Immo vero finge violentiam fuisse causam, nonne is, qui alios subigit vi metus coactos, non maiestatis speciem, sed domini praese fert, illi vero, qui illius imperio parent, non ciuium nomen e munera obtinent, sed seruorum; immo societas, quae inde coaluit, non ciuitatis, sed despotici imperii formam nomen que habet.

Cogi quidem hominum quoddam genus ad seruitutem subeundam poterit, sed nunquam ex animi sententia et lukebenter seruituti nomen dabit; immo data occasione, quum vim experti fuerunt, haec rursus impellente natura sibi pristinam meauroque potiorem libertatem vindicare studebunt, nam omnes homines natura libertati studeant, teste *Caesare* \*), omni bus opibus praferunt eam, vt *Agestilau*s ait \*\*), et nihil aequa gratum hominibus ade-

\*) De bello Gall. I. 3. c. 2.

\*\*) apud Xenoph. Rer. Graec. I. 4.

praeſtari potest \*), quid? quod, aucto-  
re Cicerone \*\*) eam vitae aequiparant;  
immo praefuerunt.

§. 5.

*Metus ferarum bestiarum exploditur.*

Alii non eundem, quam Hobbesius  
metum causam ad imperia constituenda  
commouentem existimauerunt; sed hi  
alium plane metum, id est paucorem il-  
lum trepidum, qui ex occurſu et fre-  
quentia animalium ferocium hominibus  
suboritur, commemoravere. Neque  
haec opinio probabilitatis vlla specie com-  
mendatur. Neque tamen numerosam pro-  
leim ferae, quam domesticae procreant;  
neque adeo verendum est, ne euertatur  
gens humana, neque unquam ullum ani-  
mal hominem vel astutia, vel artificiis  
adeo superauit, vt homini succumber-  
dum

\*) secundum leg. 39. §. fin. π. de fideic. lib.

\*\*) Orat. in Pison.

dum sit ineuitabili sato. Dic mihi obsecro animalis nomen, quod vel teneat leuidense illud ignis eliciendi artificium, quo solo homines se tutos praestare possint. Taceo multas alias artes, quibus homines impetum bestiarum retardare atque repellere possunt.

## §. 6.

*Auctoritas diuina non admittitur.*

Alii eo progredi non dubitarunt, vt, licet nulla exigeret necessitas, *iussu dini no* contenderent orta fuisse *regna*. Quod eo magis a veritate abhorret, quo certius est, regna fere omnia ad status pactios posse referri. Quodsi verum est, non a Deo repetemus ortum regnorum, cum pacta homines inierint inter se, adeoque et regna condiderint.

Quod ad verum verborum *Pauli* \*), quibus defendere solent suam opinionem,

fensum

\* ) ad Roman. c. 13. v. 1.

sensum attinet, omnem magistratum a Deo esse, non haec verba eam vim habent, ut nullo intercedente subsidio, Dei iussu summa imperia sint constituta, sed ut potius annuente summi Numinis gratia id evenerit. Inde *Fernandus Vas-  
quius* scripsit: imperium esse a iure na-  
turae non praecipiente, sed suadente.

*Treuer* ad *Puffendorfium* comon-  
stravit clare satis, illum ipsum errorem  
merum sacerdotum inter profanos figimen-  
tum esse, quo facum populo fecerant,  
quasi auctione quadem, nescio qua, vel  
alio solemni ritu maiestatis splendor ad-  
deretur, eoque ipso illa p[ro]ae se ferat  
particulae diuinae speciem. Quos inter,  
qui talia defendunt, non infimum locum  
obtinet *Züglerus*. Hic omnem diuini-  
tus repetendam esse maiestatem, non idoneis  
quibusdam argumentis docuit, sed  
inde ostendere voluit, quod *Ludouicus  
Bauarus* sic pronunciauerit. *Masium*  
hanc sententiam in libro, qui inscribitur,  
de *interesse Principum*, defendantem,

B

oppu-

oppugnauit *Thomasius* in notis huic libro additis, nec non in programmate, quod iratori certe fato, *Vulcano* in Dania oblatum fuisse perhibetur.

§. 7.

*Qui ad religionem prouocant, refelluntur.*

Alii arbitrantur, homines *religionis* causa conuenisse, vñ illo:

Vtque alios alii de religione docerent,  
Contiguas pietas iussit habere domos,  
sed neque haec opinio locum habere potest, nam non nisi cultus diuini promovendi subsidia, quae veram animi tranquillitatem, ex illo oriundam, modo respiciunt, referri debent ad securitatem publicam vt regnorum constitutorum finem. Tum mox apparebit, quam lubrico falsoque opinionis principio nitatur haec, quae talia statuit, ratio. Non minus diuersi generis haec esse solent subsidia, quam eorum, quo tendunt, finis est. *Quemadmodum enim regno-*

rum

rum scopus, vt infra docebimus, non nisi vi adhibita externa obtinetur; sic cultus diuini ratio neque ullam confociationem et consensum mutuae voluntatis aequae ac virium admittit, neque subiectionem a quo quis exigere hac in re vlo iure posse videtur.

### §. 8.

*Cultus pacis externae stabilitur.*

Quod si igitur rem vera trutina examinare velis, breuiter et vere statues: aut pacem externam idoneam fuisse rationem, aut nullam cogitari posse, si ad statum naturalem respexeris. Hoc vero non ad Deum, sed ad homines pertinere facile concedetur. Recte sentit *Lutherus* et *Theodoreetus*, quorum prior (in Cap. 2. Gen.) scribit: *Politia est necessarium remedium corruptae naturae, et posterior* (Orat. 7. de Prouidentia) dicit: Deus velut pharmacum quoddam mali expulsuum iniquitatis ulceribus imposuit Magistratus administrationem.

B 2

Ita-

Itaque *Hobbesius* \*) et alii valde videntur errare, dum depingunt status naturalis conditionem tanquam miserandam paeneque horrendam, cum tamen, si natales cogitas, et si auctorem illius reputas, inter optimas censenda sit. Et est haec conditio necessario talis habenda a quo quis. Alioquin summus rerum arbiter, Deus, gentem humanam in aliud reduxisset statum, aut aliam praeceperisset agendae vitae conditionem.

Si dicendum, quod res est, erroris illius fontem recte, ni fallor, quaesueris in praeorconcepta opinione, quae antiquitatis et auctoritatis nimium cultae indolem redolet \*\*).

Primam

\*) ibid. c. 10. §. 7.

\*\*) *Epicurus* auctor primus et inuentor hujus opinionis fuit; is docuit, hominum statum extra societatem longe miserrimum et ferarum vitam esse, per societas autem ciuiles statu tranquillo et seculo eos frui. v. *Stanlei Hist. philos.*

Aristo-

Primam hominis aetatem fuisse vere  
suream atque felicem, ex illa vero felici  
vita homines in miseram conditionem  
descendisse sua culpa, satis copiose et

B 3 amoe-

*Aristoteles* vero, qui olim litium politi-  
carum arbiter summus erat, contendit  
de Ciuitate, *πόλεως ἔχεσσα πέρι τῆς αὐτο-  
κίας.* (summa omissis sufficientiae perfe-  
ctio.) *Polit.* i. c. 2.

Et si vel ipsos poetas, omnis olim solidio-  
ris doctrinae auctores, consulimus,  
quos inter *Homerus* principatum tenet,  
quid ille dicit?

Non fora ibi nec iura valent, nec legibus  
aequis  
Viuitur: ast montesque colunt, imisque,  
latebris  
Speluncarum quisque suis dat libera iura  
Natisque vxorique: aliena haud respicit  
vllus.

Nec praetereundus hic est orator ille Ro-  
manus, qui haec habet: „Sine imperio  
„nec domus vlla, nec ciuitas, nec gens,  
„nec hominum vniuersum genus stare,  
„nec rerum natura omnis, nec ipse  
„mundus potest.“ v. de legg. l. 3. i

amoenissima oratione commemorat  
Plato \*).

§. 9.

*Libertas naturalis statuitur.*

Nullus in statu naturali superat alterum, nec animo cogitari potest, quemquam seruum a Deo creatum esse, multo minus dominum, nisi bestiarum Genes. 2. Vnde patet, nullum fuisse olim subditum cuiusquam imperio. Liberam ingenuamque vitae conditionem inierunt prisci mortales, amorque libertatis retinendae, si illum ad animi affectus vel ad appetitiones animi, quae in corpore hospitantur, referas, eundem cum caeteris a natura repetiit ortum: nec inquam ille vituperandus est, quam diu integer scelerisque purus maneat, rationemque tanquam restringem actionum suarum et votorum sequatur atque audiat.

Animi

\*) in Polit. T. II. p. 271.

Animi vero commotionem putamus hanc, si vel appetitione vel auersatione teneatur animus boni malive cogniti. Iam vero si animi isti impetus naturae conseruatrici non aduersentur, nec nexu rerum, cui implicamur, obstant, semper ea nobis continget felicitas, eiusque aderit perpetuitas, quae in nos vlo pacto cadere queat. Hoc enim, nisi deris, homines lege naturae adiutrice, vel quod vnum idemque est, volente conditore suo, ad miserrimas, quae creatae sunt, res referendi essent. Quae cogitatio quomodo alicui in mente invenire potest?

Claram ergo certumque est (nam nullo modo fieri aliter potest) ratione recta praeditum hominem, vitae morumque magistram omni studio et contentione naturam ductricem secuturum, fortunatum felicemque fieri: contra ea omnem aduersam fortunam miserandamque vitae conditionem nostra culpa nobis accidere. Sui enim cuique mores

B 4                      fingunt

fingunt fortunam, ut est in proverbio,  
maxime si consilio dataque opera leges  
naturae violemus, vel coeco impetu, ut  
bruta animantia, quae natura prona et  
libidini inservientia finxit, ruamus atque  
feramur praecipites in perniciem, tum  
non amplius euitandam. Omnes vitiis  
quidem premimur, sed felix is est, qui  
minimis vrgetur. Nullum enim impe-  
rium, nulla rerum summa potestas eum  
sub iugum misisset, qui liber castam  
sinceramque animi sanctimoniam consepta-  
tus esset. Fortior enim tunc temporis  
fuisset sane ille, dum sese vincebat, non  
moenia.

## §. 10.

*Excedens poetarum rhetorumque libertas  
nimis collaudata infringitur.*

Quam quidem poetae, oratores,  
politcarumque rerum scriptores tantis ef-  
ferunt laudibus, absoluta et omni modo  
excedens atque illimitata libertas, ad ea  
pertinet.

pertinet, quae nesciuisse rectius fuisset; nam per suam naturam et indolem vere esse nequit, nec digna est, quae tanto-pere expetatur. Finge enim hac immensa agendi libertate praeditos quosdam homines, conatusque executuros, sibi iure competentes: nonne vniuersae omnium libertati vim illi inferrent, limites ponerent arctos, vix enatam libertatem extinguerent, atque sic vita cum gemitu fugeret, vt ille ait, sub umbras? „Frequentissima causa, inquit Hobbes,“ quare homines se mutuo laedere cupiunt, ex eo nascitur, quod simul eandem rem appetant, qua tamen saepissime neque frui communiter neque diuidere possunt.“ Is enim liber est, interprete Cicerone, qui legibus patet, qui gaudet officio etc.

Cum adeo ista illimitata libertas, vel potius licentia, quam multi adhuc defendere solent, nullo modo cum recta

B 5 ratione

\*) ibid. c. I. §. 6.

ratione conciliari possit, neque quidquam fo-  
simile habeat illius, quae nostrae obuer- nar-  
satur menti, libertatis, immo cum sub-no-  
fida viresque haud compositae non essent ante  
suffectione naturali libertati vindicandae et q-  
iuribusque conseruandis, in mentem incidit pro-  
opinio haud praeconcepta de adminiculis  
magis multiplicibus inueniendis.

## §. II.

*Opinio de necessitate thetica imperii consti-  
tuendi refutatur.*

Alius igitur aliam moralem fingat „ ha-  
necessitatem; ego quidem non aliam nisi „ tie-  
hypothetico-moralem concederim regni „ que  
cuiusvis condendi. Priorum enim au- „ ne-  
ctorum si faues arbitrio, ad Machiauelli „ cu-  
partes accedes, de quo dabitur mox oc- „ que  
casio plura dicendi.

Si thetica esset *necessitas*, quae ad la-  
summam rerum alicui deferendam im-  
pellat, omnes populi alicuius imperium  
agnituros esse patet. Anne cuius, quae-  
so,

amso, nostrum magis volupe est, domi-  
nari, quam parere? anne omnes omni-  
sub-no gentes imperio gaudent? Nonne ex-  
tent antecedentibus iam falsi species appetet?  
da et quis hoc vlo historiae testimonio com-  
dit probabit?

Cuius rei exemplum veteris aeui ex-  
tat apud *Salustium*, qui Aboriginibus  
hanc tribuit viuendi consuetudinem. „Ge-  
„nus hominum agreste, sine legibus,  
„sine imperio, liberum atque solutum “\*),  
et Gaetulis et Libybus: „Africam initio  
gat „habuere Gaetuli et Libyes, asperi incul-  
nisi „tique, queis cibus erat caro ferina, at-  
gnii „que humi pabulum vti pecoribus. Hi  
au- „neque moribus neque lege aut imperio  
elli „cuiusquam regebantur, vagi palantes,  
oc- „quas nox coegerat, sedes habebant \*\*).“

Eodem fere modo *Pomponius Me-*  
*la de populis Africae reconditae habet*  
*haec:*

\*) in bello Catilin.

\*\*) in bello Iugurth.

haec: „sequuntur vagi pecora, atque  
 „a pabulo ducta sunt, ita se ac tuguria  
 „sua promouent, atque ubi dies deficit,  
 „ibi noctem agunt. Quamquam in fa-  
 „miliis passim et sine lege dispersi, ni-  
 „hil in commune consultant.“

Atque etiam *Petr. Baylius* firmat  
 rem exemplo recentiore, ex historia  
 Americae allato, gentium naturaliter ne-  
 que tamen infauste infortunateque viuen-  
 tium. „Il y avoit quelque police et  
 quelque forme de gouvernement en  
 quelques endroits, comme dans le  
 Perou et dans le Mexique: mais il y en  
 avoit point dans beaucoup d'autres.  
 Chaque famille étoit souveraine et in-  
 dependante, et on ne s'y occupoit qu'à  
 vivre comme les bêtes, en cherchant  
 et en préparant ce qui étoit nécessaire  
 pour le manger et pour les autres com-  
 modités de la vie. v. *Continuat. des  
 pensées diverses* §. 88.

§. 12.

## §. 12.

*Plurium causarum allegatio superuacanea habetur.*

Certamen nobis restat cum fautoribus scholae scepticae cuiusdam, qui non erubescunt affirmare: *causas impulsuas et occasiones ciuitatum esse infinitas* et de iis aliquid certi asserere, mere diuinatorium, nec ullius esse utilitatis.

Sic *Cicero*, plures causas licet adserat, non diuinatorium tamen esse, eo ipso prae se ferre videtur, dum dicit:  
 „Subiiciunt se homines imperio a terius ac potestati pluribus de causis. Dicuntur autem aut benevolentia, aut beneficiorum magnitudine, aut dignitatis praestantia, aut spe, sibi utile futurum, aut metu, ne vi parere cogantur: aut spe largitionis promissionibusque: aut postremo, ut saepe in nostra republica videmus, mercede conducti.“ v. *Offic. l. 2. c. 6.*

Non

Non pauciores causas attulit *Gundlingius*, quae quo magis ex historia hau-  
stae sunt, eo maiorem fidem merentur.  
En eius verba, quae sic se habent: „alias  
„ciuitates aliis causis ortas fuisse; alias  
„per vim, alias coniunctione libera;  
„alias ex turbis insultantium; alias ex  
„societatibus ad defensionem se accingen-  
„tium; alias primas, alias ex imitatione;  
„alias consensu expresso, alias tacito.“  
v. *Ius Naturae et Gent.* c. 35.

Non quidem inficias ibimus, vnius  
rei plures esse posse causas, sed in am-  
plissimos philosophiae campos nunc ex-  
spatiari nec lubet, nec licet. Hoc mo-  
do addemus, qui causae impulsuacae in-  
dagationem supēr vacuam et inanem cen-  
seant, non videri in votis habere illud  
poetae:

Felix qui potuit rerum cognoscere  
causas,  
cognita enim causa, non amplius nos  
latere effectus potest.

## §. 13.

*Causa regnorum analytice demonstrata.*

Cum adiumenta et fines sese habeant  
ut causa et effectus; hic vero talis sit, qualis  
prior fuerit: necessario inde colligitur ex  
cognitis adiumentis, quae ad fines con-  
sequendos allata sint, perspici posse fines  
hominum, quoniam adiumenta ratione in  
sufficientem continent, cur finis existat;  
ex ratione vero sufficienti intelligitur, cur  
aliquid potius sit, quam non, cur hoc  
modo nec alio. Iam inde efficitur, fa-  
cta hominum paria adiumentis adhibitis  
esse, adeoque ex factis praecedentibus  
fines patebunt contemplanti: nam qui  
nil facit, nullum etiam finem habuisse  
videtur. Hinc Hobbesius iure suo sic ra-  
tionatus esse videtur: „Quo consilio ho-  
„mines congregantur, ex iis cognosci-  
tur quae faciant congregati.“

Iam vero si transtuleris id ad gentes,  
de quarum rebus gestis inter omnes con-  
stat, veluti ad Romanos, intelligetur in-  
de,

de, quo consilio se congregauerint. Non pacem externam admittes, quam parare bello Romani allaborarint? Nonne recenti aevo ex Batauorum foedere idem collegeris, et ex Heluetorum tranquilla continentia? Hi melius esse iure putant, parta tueri et defendere, quam res nouas moliri. Licet Bataui magis mercaturae operam ob terrae inopiam dare soleant, indeque opes opibus cumulent, non tam pacis externae cultum et finem negligunt. Non sola enim opulentia ad omnia sufficit impetranda, sed et Batavis caetera belli adminicula curae cordique fuerunt, quae satis prudenter in tam turbulentio olim rerum statu ut quam prudenterissime adhibuerunt.

---

CAPVT

## C A P V T II.

*De solido veroque regnorum scopo et fine.*

§. 14.

*Felicitas regnorum ultimus finis.*

Natura ductrice serimur omnes ad bene  
beateque viuendum, nec ullus tam ferus  
existit, tamque vitae suae pertaesus, quin  
omnem adeo humanitatis sensum exuisse  
videatur, quo non cum Cicerone exclamet:  
*dabo me tantaे spei, ut ex hac  
colluuiе hominum ad consortium coelitum  
fin aliquando profecturus,*

Iam vero si et futuram adhuc melio-  
rem sortein exoptet, absonum esset au-  
gurari, quin hanc vitae conditionem quo-  
vis modo commodam amoenamque ex-  
petat et quam maxime longam. Quam  
quidem erectioris animi indolem supre-  
mus rector olympi indidisse et inscul-

C pſiſſe

psisse animis hominum apparet, ne, qua,  
pro sua in omnes inusitata plane beneuo-  
lentia, frui voluit, et quam pro rerum  
fortuitarum lapsu concessit verisimili fe-  
licitate, summo uniuersi huius auctore  
penitus inuito elabantur \*).

Qui singulorum omnium ergo est,  
is non minus vniuersi finis ac scopus es-  
se solet; iam vero felicitatem omnes at-  
que singuli omni studio et indefessa ope-  
ra, licet variis vario modo et quidem ap-  
parente tantum, conseruantur, adeoque  
et regnorum ea sit ratio necesse est.

## §. 15.

\* ) Itaque illa omnia optamus quovis et  
genera vitae et quavis aetate, seu pue-  
ri, seu viri, seu senes illud ipsum (scil.  
ut omnia ex animi sententia fiant, sal-  
tem ea quae humanitas solent contin-  
gere et in communem vitae usum ca-  
duant) et optamus necessario ad finem  
usque. *Plato de legg. l. 3.*

## §. 15.

*Imperii institutum.*

At cum prosper rerum successus hominum culpa ipsorum et vitio, statu naturali perdurante stare minime posset; divinitus tamen ad eam felicitatem consequendam inditus instinctus atque quidam laudabilis impetus eos inflammaret et instigaret, nihil aliud superfuit, quam ut illi noua subsidia ex ratione repeterent, nouamque fortem viuendique conditio nem adirent et nouas relationes inuenirent.

## §. 16.

*Statuum hypotheticorum recentio, quae ad imperii constitutionem requiritur.*

Itaque ad pacis externae perpetuitatem conseruandam, sine qua nec fangi potest vlla veri nominis felicitas, (vtpote quae securitatem nostri nostrarumque rerum possessionem requirit illibatam); necessaria consecutione omnes vna ea-

C 2

dem-

demque voluntate ducebantur coniunctis-  
que viribus ad se se defendendos fere-  
bantur.

Inter omnes igitur vel vni deferen-  
da erat subsidiorum administratio ad fi-  
nem perducentium, et idem nolle idem-  
que velle cum illo vnico omnes tene-  
bantur.

At coniunctissimi licet inter se se con-  
spirent ad finem suum obtainendum, non  
minus tamen omnes omnino omnium  
vires et facultates ad id requirebantur;  
quoniam autem agilitas et corporis exer-  
citium sola in conspiratione virium con-  
tinetur, sic executio non aliter perficitur  
ac ad modum mensuramque corporis  
acturi, adeoque omnis agendi potestas  
in regno iam constituto vnica virium ni-  
titur coniunctione ad vnius scopi acqui-  
sitionem.

Verum enim vero illa ipsa coniunctio  
voluntatis aequae ac virium in vna acquie-  
scentium vna eademque vi nitentium nul-  
lo modo ipsum regnum constituere vide-  
tur,

tur, sed quendam potius modum eiusque rationem.

Opus erat itaque quodam exeundi ex aequalitate modo vel aliqua transferenda Maiestatis ratione, hoc est pacto, secundum quod mutua utriusque voluntas populi nimirum et regnantis erga singulos quosque monstraretur, exinde vero ciuitatis natura veraque exsurgit indeoles: nam ciuitas, affirmante Boeclero \*): sine imperio, nihil aliud esset, quam corpus sine anima. Quocum consentit Hobbes, inquiens: „Requiritur ad securitatem hominem non modo consensio, sed etiam subiectio voluntatum circa eas quae ad pacem et defensionem sunt necessariae, et in ea ynione siue subiectione consistit natura ciuitatis.“ v. c. 6. §. 3.

### §. 17.

#### *Pacti necessitas.*

Hallucinantur itaque illi magnopere et falluntur egregie, qui affirmare non

C 3 dubi-

\*) ad Grotium l. 1. c. 3. §. 6.

dubitent, societatem quamvis; quin immo ciuitates sine ullo antecedente pacto per solam cohabitationem et imitationem coaluisse; at quaevis societas sibi praefigit finem omni communem actumque sese vniendi ipsum, id est: consensum unanimem huic fini consequendo promovoendoque necessarium. Qui quidem, ut absque pacto iniri nequit, ita nulla societas nullaque ciuitas sine pacto adunata facile cogitatur.

Si ciuitas prae reliquis omnibus societatibus complicatissima sit, plura etiam requirit pacta. Errat itaque *Huberus*, qui primo mox statui hypothetico Democracye nomen tribuit, licet hoc initum pactum nec formam, nec maiestatis speciem prae se ferat ullam, alias ciuitas ciuitatem esset praesuppositura.

### §. 18.

*Imperii autores primi qui fuerint.*

Nullo arguento idoneo confirmari potest, primus quis fuerit conditor ciuitatis

tatis primaeuae. Tantum perspicere philosopho concessum est, tribus id euenisse forte modis, vel probi, qui ab improbis sibi cauerent, vel vice versa ciuitates condere coeperunt et tandem alias alium ex improbis mutuo timore eo impulisse videtur.

Plane in mentem incideret nobis affirmare certissimam rei notitiam ex historia capi posse, sed non liquet quemquam hac ingressum via tantum adeo ad rei certitudinem peruenisse. Nulla praeter *Mojos* scripta antiquitate summam prae se ferunt, et si coniecturae locus est, aliis adhuc debent aliqua ex parte originem scriptis multo forte antiquioribus, quorum oblitus quisque iam est et reiecta quin perdita fuere.

Quamuis perspici e sacro codice possit, qua ratione terrarum orbis incolarum numero locupletatus fuerit; attamen si leges ciuiles regnandique rationem spectes, aut nullam ibi mentionem, aut per breuem inueneris. Profana historiae mo-

C 4 numen.

numenta multo maiori obscuritate et incertitudine laborant, ita, ut in declaranda rerum origine aut prorsus fileant, aut extra oleas vagentur.

## §. 19.

*Definitio ciuitatis.*

Ciuitas igitur est conuentio bilateralis, ex voluntate regnaturi et populi aequalibus voluntatibus viribusque oriens et durans ad effectum, ut singuli per pacem externam adigantur coactione ad unionis ciuilis conseruationem.

Non aliter *Puffendorfius*; ciuitas, inquiens: est persona moralis composita, cuius voluntas ex plurium pactis implicita ut unita pro voluntate omnium habetur, ut singulorum viribus et facultatibus ad pacem et securitatem communem vti possit. v. *Ius Nat. et Gent.* l. 7. c. 2. §. 13.

## §. 20.

## §. 20.

*Personae, quae statum constituunt.*

Qua data definitione perspicitur, tres dari ciuitatis personas, nimirum maiestatem, populum et subditum.

Cui populus assentit vna voluntate omnibusque simul viribus succurrit, vt certa nec unquam mutabilis omnium inter se prosperitas cooriatrur; cui etiam summam rerum potestatem atque vim addidit, singulorum quorumlibet ad consensum concursu[m]que cogendi, is nomine insignitur *maiestatis*.

Cuncti ad maiestatis praerogatiuam sustinendam vnanimiter conspirantes omniqe vi adhibita eo nitentes constituunt, nullo excluso, *populum*, cuius quodlibet membrum sigillatim spectatum nomen *subditi* sibi impositum gerit.

*Populi ut personae moralis probatio.*

Plurimorum philosophantium de civitate opinio ea hucusque fuit, quasi ipsi nil nisi inesset praeter maiestatem et subditum. Negant porro et pernegant populo personam moralem conuenire inque statu cum eo, qui maiestate habet, aequali versari spectarique, sed eius rei probatur contrarium.

I. *ab effectu*, effectus enim testatur de causa.

I) Quisnam iura maiestatica exercet post obitum imperantis maiestate ornati, impubere simul relicto, et adhuc pleno rationis usu destituto? Nonne populus?

Sic inter omnes constat, quod quae testamenta condiderant reges Gallorum *Ludouici* tam decimus tertius, quam quartus, multis ante diembris litibus, posthabita fuerint et regibus adhuc natu minoribus, regni proce-

proceres tutelas longe alias, ac illa regii utriusque parentis fuerint, consulto decreuerint.

- 2) Si quis princeps fato quodam aduerso imperio amplius rite obeundo impar redditus, nullis quoque gaudeat haeredibus vel fidere possit futuris, penes quem ergo deferendi imperii potestas residet? Sine dubio penes populum.

Quod incidit in Lusitania regnante tum Alphonso VI, qui morbo aliquo et imperii regundi et liberorum procreandorum facultatem perdidit. Quo rerum in statu populus summam imperii fratri eius, cui nomen Petrus fuit, detulit.

- 3) Quis pacta regni fundamentalia explicat? Nemo nisi populus, qui ex obligatione ea interpretatur.
- 4) Quis imperium commune sustinet principe regnante ab hostibus capto? Non minus hoc suscipit populus.

„Exer-

„Exercitium enim, inquit *Grotius*,  
 „et quasi tutela erit penes populu  
 „aut eum, cui id populus commi  
 „rit, quoniam non credibile est,  
 „populo imperium delatum ea leg  
 „ut et a non libero exerceri possit.“

5) Quando regiminis forma hucusque  
 solita propter rerum conditiones no  
 amplius admittitur, quis quaeſo n  
 vam instituit? Sane populus.

Sic ad finem ſaeculi praeteriti i  
 opinantibus omnibus in Dania populu  
 a nobili quoquis preſſus et in angustia  
 redactus *Friderico III.* ſuo regi illi  
 mitatam regnandi potestatem iusqu  
 ſuccedendi in regno eius regii vtrius  
 que ſexus heredibus occupandam ob  
 tulit atque confeſſit.

## II. *a priori.*

Patuit ad constituendam ciuitatem  
 requiri populum, quotquot vel eius  
 ſint familiae, ex quibus conſteſt.

Hic

Hic populus coniunctis viribus conspirantique animo vni adhaeret vel pluribus, sit vero vni, qui, vt superior acceptat a populo offerente imperium. Duo ergo isti populus et regnaturus idem velle ideinque nolle censemur; ambo aequales habentur, quoniam alter in alterum simile utrinque confert ad vniunionem conciliandam. Perpetua eorum sit voluntas et immutabilis necesse est, siquidem amborum nituntur omnia consensu, antea diverso, nunc per vniunionem semper eodem, non exclusa tamen quadam vi cogente. Quo facto imperium cooritur commune.

Quod quidem imperium non datur vna parte modo adstipulante, sed populi et regnaturi voluntas simul concurrat et manus quasi quasdam auxiliatrices benevolentia iunctas praebeat necesse est. Hac sola mutua voluntate componitur potestas et licet alias vis vnitata fortior habeatur, hic tamen ea-

dem

Grotius  
opul  
mmi  
est,  
a leg  
lit.  
cusqu  
es no  
so no  
iti is  
popul  
gustia  
gi illi  
usqua  
trius  
n ob  
atem  
eius  
  
Hic

dein esse utrumque et consimilis solet.  
 Fac igitur, voluntatem unius partis  
 deesse, cessat simul unio, et ciuitas  
 in nihilum recidit, quoniam actus  
 unionis deest, sub quo nihil aliud con-  
 prehenditur, quam consensus omnium  
 ad finem per pactum omnibus com-  
 munem. Tollas hoc, ipsam suste-  
 leris simul etiam coniunctam potes-  
 tem, mortemque induxeris ciuilem.

*Scipio, expugnata Numantia,*  
*Tyresia Principe interrogatus, quo*  
*modo ciuitas illa haec tenus insuperabi-*  
*lis, capta fuisset, respondit: Concordia*  
*victoriam, Discordia exitium*  
*praebuit.*

§. 22.

*Quæstio mota soluitur.*

Quomodo autem sese res habet illi-  
 mitato prorsus in imperio?

Nec vlla ibi accedit inaequalitas, quo-  
 niam pactum sub conditione modo sub-  
 est,

est, quo nullum tollitur regni essentiale, nempe mutua vtriusque voluntas, quae perdurante vnionis actu nunquam dissentire et recedere potest; nec regnanti licet imperium commune instar mancipii aestimare, vt adeo ipsi voluntas pro ratione stare posse iure videatur. Concipi enim actus vnionis ab imperantibus solum modo parte nullus potest, sic enim suprema potestas degeneraret in tyrannidem.

§. 23.

*Tyranni notio.*

Significatus tyranni olim, cum res male gererentur multorum imperiis, apud omnes male audiuit, nunc autem rara illa temporum facilitate imperantes solent subditorum commodis moueri, vt suis, nunc valet istud Plinii effatum: „est quo-“ que quaedam dolendi voluptas, si quem „habeas, in quo omnes curas et sollici-“ tudines deponas, in cuius sinu desfluas, „vbi lacrymis tuis vel laus est parata vel „venia.“

Alias

Alias eo nomine insigniri moris erat istos inter imperantes, qui orbī, quā latē patet, iura derogarent, in eoque neque modum neque modestiam tenerent atque singulos in iis passibus, quibus parendi lege nec subiecti erant, nec potuerant submitti veluti seruos vi autoritatis maiestaticae haberent.

Hanc lugendam rerum conditionem  
*Plato* viuis depinxit coloribus, dicendo:  
 „ quoties neque ex lege neque ex more  
 „ quispiā dominatur, simulatque scire  
 „ se, et praeter leges rectius hoc ita fieri  
 „ oportere (inest autem libido et ignoran-  
 „ tia quaedam, quae ad imitationem  
 „ eiusmodi inducit), numque vir ille Ty-  
 „ rannus est appellandus. “ v. *in Polit.*

Nec minus apte ornateque exprimit  
 hanc tristem rerum olim faciem atque  
 imaginem *Noodt*: „ Princeps, inquit:  
 „ volentibus, Tyrannus inuitis imperat.  
 „ Alter Reipublicae, alter sibi consultit.  
 „ Alter legibus seruit, alter insultat. Al-  
 „ ter

„ter a cuiusque vita, libertate, bonis,  
 „tanquam a rebus sacris, manus, oculos  
 „mentemque abstinet; alter ea res sui iu-  
 „ris atque arbitrii esse opinatur. Alter  
 „igitur Deo proximus eiusque exemplo  
 „de humano genere bene merens, do-  
 „mi forisque carus, sanctus et venerabi-  
 „lis habetur, ad eumque omnes velut  
 „ad suae causam salutis, non eunt, sed  
 „ruunt; obstinati, se deuouere pro illo  
 „cuius spiritu se coniungi, regi ac valere  
 „sentiant; alter publico natus malo, nul-  
 „lis vtilis bonis, omnibus perniciosus et  
 „ideo foedus, dirus et execrabilis, quo-  
 „cunque procedit, tanquam si bellua ali-  
 „qua fera et immanis e latibulis se mo-  
 „verit, omnia longe late terrore, fuga,  
 „vastatione complet.“ v. diss. de iure  
 summi imperii et lege regia.

### §. 24.

#### *Discrimen populum inter et subditum.*

Quod si nunc scire cupias, quodnam  
intercedat discrimen inter populum atque

D singu-

singulos quosque subditos, consulas necesse est, qua ratione differat Ius publicum vniuersale a Iure vniuersali ciuili.

Prioris nullas explicationes admiseris nisi iurium et obligationum perfectarum, quae inter populum et regnaturum intercedunt, nec inquam hic locum habet ullus subditi significatus. Contra ea in posteriori idea exsurgit relata regnantis atque subditi; quotiescumque enim is, cui imperii summa commissa est, illam ad singulorum usum applicet, toties reperies Ius vniuersale ciuale, ut effectum ex Iure publico vniuersali oriundum.

Inde cuius patet ratio, quid sibi velit sic dictae dependentiae verae vis et potestas, quam in irum is, in quem delatum est imperium commune, omnes consequelas et effectus cuiusvis regalis, ratione singulorum habita, efficiat et perducat. Omni quidem generi ius est erga singulos quosque, sed non in vicem versam, nisi exceperis eos passus, quibus non licuit imperio submitti.

Quic-

Quicquid ergo regnans decreuerit  
conspirante vna populi voluntate, ei et  
singuli quique obtemperent necesse est,  
et si regnanti quid factu opus est, popu-  
lo iniunctum id officii, ut omne adferat  
adiumentum ad destinatum opus, quo quis  
modo expediendum.

§. 25.

*Opinio Hobbesii refutatur.*

Hobbes affirmare audet, Ius publi-  
cum vniuersale de nemine nisi regnante  
et subdito et inito pacto intra se inuicem  
considerare, populum parendi legem mi-  
grare nunquam posse regnantique quaeli-  
bet faciendi esse aquam potestatem, si-  
quidem ille tum sic agendo non in terrae  
incolas, sed in numen peccet diuinum;  
at nimis longe discessit ab officiis erga  
Deum nullo obseruato discrimine, quod  
adhuc interest. Hoc enim errore negle-  
cto, tolleretur fere omnis, quam infert,  
vtriusque juris differentia.

D 2

§. 26.

*Refutatio Groeningii.*

Eodem modo a scopo aberrare solet *Groening* \*), qui nullum statuit contra *Huberum* et *Hertium* Ius publicum vuiuersale, idque ex eo capite, quod omne repeatat principium eodem e fonte quo Ius Naturae; sed sibi ipsi aduersatum duas modo disciplinas praecipuas admisit, sic enim si colligat, nullum etiam Ius Gentium dari facile patet, cum eodem Iuris Naturae nitatur principio proximo. Adeoque normam logicorum transiliisse videtur, qua definitur, diuersorum obiectorum diuersas esse disciplinas.

Vfus Iuris Naturae quadruplici modo locum habet:

*Primum* enim refertur ad liberum quemvis hominem in statu naturae stricte et vnice versantem;

*Dein*

\*) Biblioth. Iuris Gent. Europ.

*Deinde* ad duas gentes liberas; id quod  
ad gentium ius pertinet;

*Postea* ad regnante et populum, h. e.  
iuris publici vniuersalis, et

*Tandem* ad regnante et singulos subdivi-  
tos s. ad duos in statu ciuili homi-  
nes h. e. Iuris vniuersalis ciuilis.

Quicquid etiam regerant aduersarii, in  
contrarium, semper tamen inconcussum  
perstat et manebit iuris naturae princi-  
pium idque proximum, pax illa externa  
eiusque obseruatio, licet ad noua obiecta  
referatur; sic cuiusvis status humani fi-  
nem Deus tuetur, nempe meam ipsius  
conseruationem, ad quam omnes ten-  
dimus.

§. 27.

*Error Monarchomachorum refellitur.*

Multo autem maioris periculi plenus  
est error, quem *Monarchomachi* errant,  
siquidem hi duplicem contendunt esse  
maiestatem, nimirum personae et rei,

D 3 cuius

cuius alteram regnanti, alteram populo vindicare allaborant.

Huc *Grotius* respexisse videtur, dum subiectum proprium ex communi maiestatis assumfit \*); sed hi omnes iam in antecedentibus quodammodo a nobis refelluntur, qui vero plura desiderent, quae ad eos refutandos pertinere posse forte videbuntur, adeant, obsecro, *Müller* *Natur- und Völkerrecht*, quod Lipsiae 1733. prodiit.

§. 28.

*Differentia inter Monarchomachismum  
et Machiavellismum.*

Id vnum monuisse iuuabit *Monarchomachos* aequi minari ruinam regnantibus

\*) Summae potestatis subiectum aliud est commune, aliud proprium. Ut visus subiectum commune est corpus, proprium oculus: ita summae potestatis subiectum commune est ciuitas, proprium persona una pluresue, pro cuiusque gentis legibus ac moribus. L. I. c. 3. §. 7:

tibus ac *Machiavelli* artificio populo detrimentum adferre grauissimum. His populo omne talionis ius adimitur ad pericula ceraici suae imminentia aliquo modo propulsanda. Contra ea illi populum instruunt tam enormi iure, quo injurias ab imperante illatas referre et repellere teneantur, ut nulla fere obsequii gloria relictâ maneat, ad quam maiestatis splendori tribuendam obligentur.

Qui imperantes impugnare non erubescunt, prorsus de statu suo deiectum volunt regnantem, quando subditos parum offendit suoque illos iure non omnino vti et abundare passus sit, adeo ut iuxta aestimare non dubitet imperantem cum eo, qui eiusdem esse soleat civitatis.

*Machiavellus* vero ipse, si ita senserit, omnem humanitatis sensum exuisse videtur, dum post iura cessa nullo amplius frui hominibus licere perperam contendit eoque progreditur, ut hominum

infra dignitatem par ratio esse ipsi videatur, quae sit hominis, cui os sublime dedit coelumque tueri, iussitque erectos ad sidera tollere vultus, et animantium brutorum, quae pro domini lubitu victimas referre coguntur.

Quorum interfuit refutare eius praeconceptam erroris opinionem catalogum reperies, si lubet et vacat, in *Raynaldi* tractat. de bonis et malis libris, nisi quod caput rei est, cedro dignum opus *Antimachiaelli* his omnibus iure meritoque praetuleris, quod si lego, quem non philosophum contemno.

CAPVT

## C A P V T III.

*De iuribus et obligationibus eorum, qui regna constituant.*

§. 29.

*Definitio Maiestatis et cui Maiestas competit.*

Is enim, vel id collegium, quod actu et possessione imperii communis instructum est, Maiestatis vim et valorem habere recte dicitur.

Ex Ziegleri mente „summa et libera regendi societatem potestas ad finem propositum nominatur.“

Immerito igitur, nec de iure Maiestatis speciem praese ferre putantur, quibus quiduis potius aliud conueniat, quam illa: uti *Paulus* ille Iurisperitus Praetori eam adscripsit, sed admodum improprie et praeter ipsum. Aliis e contrario alii derogatam volunt, quibus alioquin recte conuenit meritoque adiudicatur.

D 5

§. 30.

*Felicitas ut finis populi ultimus.*

Communis omnium regnum aliquod constituentium felicitas primarius esse debet finis, eiusque bene instituta ratio, praecipuus scopus ad quem omnia Maiestatis iura tendant et spectent necesse est, perficiendique ea necessitas urget; adeoque Hobbes non male pronunciat: „qui „si non habeatur, populus non intelligi- „tur se ei subiecisse, aut ius se arbrio suo „defendendi, amisisse.“ v. c. 6. §. 3.

Nulla itaque alia cessa esse maiestate praedito iura intelliguntur, nisi quae populus cedere ei voluit, nec aliis hic privatus esse videtur, quam iis, quae ad consequendum finem non pertinere credantur.

Neque Maiestatis est alia sibi vindicare iura, quam sibi a populo attributa, fecus si fecerit, ius resistendi populo relictum manet, cui opinioni afferendas non deest Noodt, cum affirmat: „Ma- „gistra-

„gistratum quisquis est, in suos ciues in-  
 „que eorum facultates demum eam acce-  
 „pisse potestatem, quam poscat publicae  
 „modus societatis: sine qua longa sua  
 „cuique et libertas et securitas foret: ac  
 „si publicis priuatisque opibus ac viribus  
 „vltra vti velit, non pro Principe aut Ma-  
 „gistratu agere.“ v. l. c.

Cum publica omnium salus nullius  
 non populi, qui in societatem coaluit,  
 princeps sit finis, quo omnes tendant,  
 nullique ab eo recedentes felices fortuna-  
 tique habendi, adeo ut homines homi-  
 num causa nati esse videantur: eam ob-  
 tem non potest fieri, quin illa ipsa salus,  
 communis omnibus, suprema lex regu-  
 la atque norma vniuersitatis nunquam  
 violanda recte habeatur, adeoque omnes  
 caeterae inde consequentes actionum in-  
 situendarum rationes tot membrorum  
 vnius corporis, singulatim spectatae eo  
 referri debeant.

Quod si vero commune propositum  
 quoddam cunctis fit commodum, cum  
 fana

sana omnium quoque ratione, ut felicitatis rectrice conueniat necesse est: nec tale eiudet vñquam nisi ad cuiusque optimi sensum rectamque iudicandi opinionem quam exactissime temperetur. Vnde populus vicissim tenetur, vt, quaecunque possit, quovis modo adferat ad id propositum consequendum.

§. 31.

*Quid sit regale.*

Vis illa atque momentum omne, quod populus adfert maiestasque in commune omnium bonum adhibet et usurpat, vtpote qui eam ob rem conjunctis viribus et mutua in maiestatis voluntate acquiescens populus eo nititur, vt quid, quantumque opus sit auxilii, ad id adferendi, omnino praestetur, hoc insigniri *regalium* nomine solet, de qua re latitus Ius publicum vniuersale et Politica exponit.

Cum

Cum *regalia*, vt vocant, eiusdem originis censeantur, quae regnum est, non attinet de his dicere pluribus; quamvis constet complura quoque suum aliunde ortum trahere, quae aucta cumulata que fuere, quoad opus magis magisque fuerit visum.

Quodsi dispescantur illa varie a variis audiantque politicis *immanentia* atque *transeuntia*, nec non *maiora* et *minora*, hoc arbitrii magis rem esse credito, quam ullius philosophis futuri usus. Si enim naturam finemque eorum respicias, non minoris quaevis sunt momenti et maiestati incumbit ad omnia, nullo seruato discrimine, aequalis obligatio, eis utendi manu propria quasi, eaque exercendi quamcumque vim habuerint.

### §. 32.

*Discrimen immanentis et transeuntis regalis.*

*Regalia immanentia* a politicis ea vocantur, quae internam imperii conditionem

tionem non excedant, sed ab imperante in ditione sua erga suos, quos habet subditos exerceantur; *transuentia* autem nomen gerunt ab externis imperio accidentibus ab eoque, quod ad externas nationes pertinet, si ad imperium referatur id, ut ius belli pacisque ineundae legationumque expediendarum.

§. 33.

*Immanentia stabiliuntur reiectis trans-euntibus.*

Si ergo penitus res exploretur, omnia quaecunque dentur, regalia, *immanentibus* sunt annumeranda, quoniam cuncta regni communem utilitatem atque comodum promouere debent: quicquid ergo eo spectat, maiestatici iuris vim habet, et intrinseca quasi prosperitate regni stabilienda occupatur.

Huc accedit valor Principis in ditione ipsa magnus, extra illam nullus, nisi forte priuati cuiusvis alius. Obseruantia vero,

vero, quae maiestate praedito praestatur extra suam, quam obtinet ditionem, non de iure, sed placandi potius cupiditate vicissim conferri solet ab imperante altero, maiestate exornato, intra cuius regni fines alter versatur. Incongruum enim esset pro imperante haberri regni alterum, altero fasces imperii tenente contra ius fasque principis prioris.

Quae quidem diuisio regalium suum habet domicilium alias nullum, nisi in Iure publico particulari, quidquid vero iuris est publici particularis, non tanti ambitus esse solet, ut uniuersalis, sed vice versa.

### §. 34.

*Nec admiittitur diuisio maiorum et minorum.*

Vt obscura nec plena satis diuisio, qua *maiora* et *minora* statuuntur *regalia* a *Thomasio* reiecta iacet, referturque ad *Ius publicum particulare*.

Poli-

Politiciis visum est posteriora posse alienari, sed falso. Nullum enim datur maiestatis ius, quod in alienationem cadat, siquidem quoduis regale suum ad maiestatis vim constituendam confert symbolum, tollas enim omnia regalia, tolles ipsam simul maiestatem.

§. 35.

*Divisio quoad effectum defenditur.*

Ad effectum quod spectat differre eapparet quodammodo, vel enim indirekte siue, quod idem est, mediate, vel directe, seu immediate ad felicitatem referuntur Ciuitatis; utrumque vero naturam maiestatis absolutasque eius proprieates efficit, et quasi quasdam vices intra se gerit, ita ut priora posteriorum causa sint, haec autem regni ob finem adsint necesse est.

§. 36.

## §. 36.

*Proprietates maiestatis absolutae numerantur.*

Agmen dicit inter regalia maiestatis  
*Autoritas*: sic enim *Seneca* sermocinatur:  
 „*Autoritatem tolle, tollis regnum*;  
 „*omnisque imperii contextus in partes*  
 „*dissiliet.*“ v. *de Clementia*.

Ad autoritatem vero requiritur, ut  
 illa sit *summa*, *Exlex*, *Ἄυτορεύθυνος*,  
*Sancta*.

## §. 37.

*Quid sit Summa.*

*Summa*: absoluta enim regni perfe-  
 ctio eiusmodi est, ut vnam modo mo-  
 ralem referat personam vnumque quasi  
 politicum efficiat corpus, quo omnes vno  
 amico nexu conspirent omnesque cuiusuis  
 vires non nisi in huius vnius potestate sint.

Vnanimis hic ille consensus vnitaque  
 vis omnium collata in vnum quendam

E                       maie-

maiestatis nomen absoluit; quod si dederas, non nisi vnica regni cuiusdam maiestas datur.

Fac plures absoluta simul gaudere rerum omnium potestate, non omnes acquiescerent in vnius voluntate, neque coniuncta cunctoruim vi vnuis instructus haberetur: cum vero aduersetur alter semper alteri, inde eueniret necessario nulla firma stabilisque coniunctio, adeoque ad concordiae perpetuitatem, aut vna modo huius regni maiestate opus est, aut nulla constans intimaque inter se se consensio est expectanda: quo dato casu maiestas concidit tota, atqui posteriori repugnat imperii cuiusque natura, ergo prius sit necesse est.

Prolixe hanc rem, veluti politicae basin demonstrat *Aristoteles* \*) ex Homer. Iliad.; „Bonum non est, inquit: „multorum dominatus, vnuis dominus „est, vnuis rex. Bene e poetis non nemo:

„Multo\*

\*) Lib. 4. Polit. c. 4.

„Multorum imperium multa est confusio  
„semper,  
„Multi sunt domino domini, rex unicus  
„esto.“

Quod restat, conferas, si lubet *Boe-*  
*clerum* ad *Grot.* l. 1. c. 3. §. 6.

§. 38.

*Quid sit exlex.*

*Exlex:* sed ne sic concipias velim, ac  
si quis maiestatis iure instructus omnes  
omnino leges sit supergressus;

*Primo:* ad illam, quae non scripta, sed  
facta, quae non promulgata, sed  
connata est, legem, vitae rationes  
instituere debet, cuius solius au-  
ctor suasorque extitit Deus;

*Deinde* secundum pacta et conuenta fese  
gerat, ipsa ratio suadet, et

*Tandem* vario in casu ad priuatas legum  
normas, quae praescriptae sunt  
ex imperii instituto, obligari potest  
is, qui ad gubernacula regni sedet,

E 2 nempe

nempe tum, quando suo cum subdito contraxerit, siquidem contraxit, ut quiuis alias, non ut Princeps\*).

Ex

\* Quod quidem promiscue et sine distinctione interpretante Zieglero: adserere non licet, maiestate legibus a se dependentibus eatenus non teneri, quatenus ciuili ratione nituntur, et naturaliter tantum obligari, nunquam ciuiliter. Sit enim vero in Principis potestate, leges eiusmodi, vtcunque velit, abrogare et abrogatis alias substituere et profus nouas condere, in conuentionibus tamen, vltro citroque obligatoriis, necesse est, ut eodem modo obligetur, quo sibi obligatum velit alterum. Si ergo sibi ex suis legibus obligatum vult subditum, ipse vero se ex iisdem obligatum non vult, dubium non est, per hanc inaequitatem etiam naturalis iustitiae leges violari, quippe quae in applicatione vtriusque contrahentis parem obligationem quoad nexum et vinculum exigit, in reliquis negotiis omnibus quae *quo<sup>rum</sup> obligacionem* non inducunt, et  
legibus

Ex quo patet falsus ille opinionis error *Monarchomachorum*, qui ferunt, manifestam ad leges earumque obseruationem cogi posse, quod nec rationi, nec Reipublicae consentaneum esse videtur.

§. 39.

*Quod sit αὐτοπενθυμός.*

'Αυτοπενθυμός h. e. nulli obnoxia hominum iudicio, coram quo vitae suae ra-

E 3 sequuntur tiones

legibus positius substant, laxior quidem Principis est potestas, nec ille legibus a se latis ex necessitate tenetur, dubium tamen non est commendari magis leges promulgatas, magisque obedientes reddi subditos, si viderint caput Reipublicae et Legislatorem iisdem secum institutis conformari. Vnde optime *Claudianus*:

In commune iubes, si quid censesue tendendum

Primus iussa sibi. Tunc obseruantior aequi  
Fit populus, nec ferre vetat, cum viderit  
ipsum

Auctorem parere sibi. v. *Iur. Mai. c. I. §. 18.*

tiones reddere cogatur; vnde bene *Tertullianus*: „Reges in solius Dei potestate  
 „sunt, a quo sunt, a quo sunt secundi,  
 „postquam primi, ante omnes et super  
 „omnes Deos et homines.“ Et *Basilius*  
*Imperator* sic allocutus est *Leonem* filium:  
 „Sicut caeteris praelatus es, vt omnibus  
 „imperes, ita contendere, vt virtute quo-  
 „que caeteris antecellas, virtus enim omni  
 „principatu praestantior, imperator qui-  
 „dem es, sed sub alterius scilicet altissi-  
 „mi Dei imperio.“

## §. 40.

*Denique sancta.*

*Sancta* i. e. nulli vñquam subiectorum  
 licet, vlla ratione manus inferre imperanti,  
 nisi grauissimas nefandae audaciae poe-  
 nas luere velit, neque renitendi iussis eius  
 cuiquam copia datur, sed obsequii cul-  
 tum omni modo praefet necesse est: cum  
 aut hac aut nulla re alia fulcrum imperii,  
 quo inititur, alias inconcussum perstet, ni-  
 mirum

mirum vnam mis ista cunctorum cum prin-  
cipe suo consensio atque voluntas.

„Vobis ex legibus multis et honestis,  
„inquit *Plutarchus*: honestissima illa est,  
„honorare regem et venerari imaginem  
„Dei omnia saluantis.“ *in Themistocle.*

§. 41.

*Quo referantur regalia directe spectata.*

Regalibus, vti vocantur, quae di-  
recte felicitatem ciuitatis concernunt, lo-  
cum destinare liceat in *notitia*, quae sub  
generali nomine *Camerarium* innotuit,  
quamvis vnam modo esse, cui nomen id  
imponatur, vt iam alibi in libello, qui  
inscribitur *Sämmtliche Kameralwissen-  
schaften nach ihren ersten Grundsätzen*,  
*Halle 1773. 8.* diximus, vbi primas eius  
lineas duximus.

Sic dictae Camerali notitiae, in uni-  
versum spectatae, Oeconomia priuata  
annumeratur, *deinde* strictiori sensu, qua-  
tenus illa sumitur, *postea* redditum pu-

E 4 blicorum

blicorum ab exteris colligendorum scien-  
tia (Finance), tandemque Politia.

§. 42.

*Relegatur aliorum Oeconomia priuata.*

Quod ad primam attinet, nimurum  
*Oeconomiam priuatam*, quamvis hac, ut  
primo capite, *Cameralium rerum cultores*  
nunquam carere possunt, tamen in ab-  
vsum fere degenerauit illius ad id relatio-

§. 43.

*Determinatur scientia Cameralis stricte  
sic dicta.*

Alia deinde datur, quae dominium  
eminens et regale regnantis circa vectigal-  
lia concernit, adeoque eam recte dixe-  
ris practicam scientiam, qua modus et  
res tradantur, quibus adiuuantibus im-  
perii thesaurus iusta aequaque ratione sit  
colligendus.

§. 44.

## §. 44.

*Idea scientiae, quam Galli Finance  
vocant.*

*Tertiae* finis est, ut quantum cum securitate publica consistere possit, ipsi cives regni locupletentur. Iam vero, cum iste quidem scopus alius plane indolis sit, intelligitur facile et adiumenta eiusmodi esse futura, itaque prorsus a camerali notitia abludit.

Duplici ratione Ciuitas in tanta et bene aucta parte collocata est:

*Primum* per auctiorem ciuium numerum; ideoque *Divus Hadrianus* numero liberorum Albini fauens hac sententia rescripsit: „se malle „imperium ampliari hominum col- „lectione potius, quam pecunia- „rum copia.“

*Deinde* bonorum accessione, quod vel paternis et inquilinis bonis quoquis modo augendis fieri solet, vel si exterorum opes inferantur patriae.

E 5

Ex

Ex his ergo colligitur efficiturque scientiae, quae Gallis *Finance* audit, hanc vim esse, qua iusto atque aequo consilium incolarum numerus semper augendus respiciatur, quam bonis subditorum nouae in dies accessiones fiant, nec non qua dextra ratione diuitiae ab exteris parentur in patriae commodum.

§. 45.

*Politia definitur.*

Finem huic rei imponit *Politia*, velut norma quaedam et canon omnium. Haec sola est, qua omnia nituntur coepita fausta regno futura: quo quaeso enim modo exteri allicerentur, nisi rationibus incolarum consultum omni studio cupi videant, et cui bono locupletarentur subditi, si Cameralium gnari praescindant mox omnem, quae facta fuerit, boni accessionem?

Nec multa: vim potestatemque huius disciplinae prodit eius laudabilis semper

per finis praefixus, secundum quem corporis politici, quibus constat membra eorumque opes non modo conseruantur, sed et priora suo quoduis loco et posteriores cuiuslibet membro conuenienti ratione vbiique distribuuntur.

In adferendis vndique subsidiis ad huncce exoptatum finem aliquando felius consequendum necessariis exactaque eorum notitia omnis continetur *Politia*,

§. 46.

*Ex Platone illustratur.*

Has quas adhuc explicuimus varii generis scientias, nemo melius nemoque magis graphice descripsit, quam eloquentissimus *Plato* in *Politica* T. II. p. 293.  
 » Quatenus enim, inquit: scientiae et iustitiae ductu et auspiciis ex deteriori me liorem pro viribus ciuitatem efficere instituunt, atque conseruare, hactenus rectam appellare rem publicam volumus,  
 » et in eo ipso duntaxat definitionem re  
 » ctae

„ctae gubernationis constare, caeteras  
verò omnes neque legitime neque vere  
„dici statuendum est.“

§. 47.

*Quod hæ scientiae sint species Iuris publici vniuersalis et Politicae ciuilis.*

Quas quidem in vnum collectas rerum harum noticias, nisi Oeconomiam exceperis, ad species partim Iuris publici vniuersalis, partim Politicae ciuilis recte referuntur et ad hanc quasi quoddam exemplar excolantur necesse est. At bennendas velim, ciuilis solummodo Politicae, nam Politicae quatuor species assignantur. Eius, quo nititur, principium applicari referique potest:

- I. ad duos homines singulos, i. e. Politica Iuris naturae;
- II. ad duas gentes liberas, i. e. Politica gentium;
- III. ad regnante et populum, h. e. Politica Iuris publici vniuersalis;
- IV. ad

IV. ad regnante et subditum, h. e. Politica Civilis.

Quaecunque conceperis animo iura publici: vniuersalis, ut perfecta habes, quae vi metuque compellere ad officium dicuntur, Politicae vero ciuilis iura non nisi imperfecta censentur, adeoque vim omnem reiiciunt externam atque excludunt.

§. 48.

*Progressus ad iura populi et subditi.*

Igitur nunc accedimus ad contemplanda iura et obligationes populi atque singulorum subditorum, quorum cuilibet in antecedentibus iam subiecta est notio.

Quaestio iam mouetur quo dato in casu populus et subditus teneantur obedientiam praestare et vtrum sine vlla exceptione eos, qui sub imperio suo versantur, non aliter ac parendi lege sibi subiectos respicere et habere possit regni Princeps?

Cuius

Cuius quidem quaestione difficultatem sine ambagibus discutere si lubet, quedam in vniuersum spectatae propositiones formandae erunt.

§. 49.

*Qui non pro subditis habeantur.*

Certum est et omni exceptione maius principium, eum qui maiestatis vim et potestatem quoad regalia experiri velit, antea maiestatis praerogatiuam agnoscere suoque consensu comprobare debuisse; inde sequitur, eos, qui nec civitati nomen dare suum potuerint consentientes, nec actu dedisse conuincantur maiestate praedito nulla parendi lege esse subiectos.

„Quicquid in multitudine, inquit „Hobbes: factum est, intelligendum est „factum esse ab unoquoque eorum, ex „quibus illa conflatur. Atque is qui in „multitudine illa existens, tamen iis „quae facta sunt, non consenserit, ne „que

„que opem tulerit non fecisse censendus  
„est.“ v. c. 6. §. 1.

§. 50.

*Primum exemplum.*

Neque cuiusquam subditi infans, ex quo in lucem prodiit, subditi nomen gerere vere potest, quoniam subditum esse res solet ut pactitia haberi. At si ut subditi consensu suo dato sese submittant principatui, postquam ex ephebis excesserint, adeoque usum rationis sic monstrauerint aut verbis vel factis, tum nullum de obedientia amplius est dubium. Facultate vero rationis tantuminodo instructi, sed usu eius priuati nullo in subditorum numero habentur; alio enim modo habemus animantia bruta, alio homines, nullum enim officium, nulla amicitia illis debetur.

§. 51.

*Alterum exemplum.*

Sub alio censu veniunt legati nunc considerandi, qui aequalitatis ius obtinent,

nent, tum ob sibi demandata munia de-  
center obeunda, tum ob alias eo respi-  
cientes agendi rationes, quae ad munus  
eorum proprius spectent, neque in cae-  
teris rebus omnibus alio numero habentur.

Scite in hanc rem scripsit *Wicque-*  
*fort.* „Les Ministres publics ne recon-  
„noissent point d'autre jurisdiction que  
„celle du Prince qui les emploie, telle-  
„ment que tout ce que la justice du lieu  
„de leur residence entreprend contre eux,  
„est un pur attentat, et doit être confi-  
„déré comme étant fait par des juges in-  
„competents et illegitimes.“ v. *Memoires*  
*touchants les Ambassadeurs.*

Qui id iuris Legatorum dignitati vin-  
dicant eo ex capite, quod praerogatiuae  
speciem a principe suo, quasi mutuo da-  
tam, prae se ferant, illi non recto veri-  
tatis tramite incedere videntur. Alioquin  
nemini legatorum, nisi primi ordinis,  
qui Gallis *Ambassadeurs* vocantur, hoc  
esset ius concessum, cum tamen cunctis  
conue-

conueniat, nec vnquam derogetur, quos-  
cunque aulicus viuendi mos legatorum in-  
signi ornauerit. „Les Envoiés, inquit  
„Calliere: sont des Ministres publics,  
„qui n'ont point le droit de representa-  
„tion, attaché au seul titre d' Ambas-  
„deur: mais ils jouissent de la même su-  
„reté, que le droit des gens donne à  
„tous les ministres des Souverains.“ v.  
*De la maniere de negocier avec les Sou-  
verains.* c. 6.

### §. 52.

#### *Tertium.*

Regiam coniugem, hanc vitae fidei-  
que sociam quis ad subditorum numerum  
cum recta ratione referret, nisi ipso actu  
consensuque submissionis iugum subierit.  
Nulla nisi coniugii inita pacta ipsi interce-  
dunt cum principe regnante, quibus cui-  
vis potius rei, quam parendi lege subii-  
citur. Fac vero eam antea subditis an-  
numeratam fuisse vel actu externo ma-

F triimo-

trimonii legibus consensum dedisse suum,  
tum subditae nomen ipsi impositum iri  
certissima res est.

Sic non minus euenit in regno suc-  
cessuo, si coniuges fratrum primogeniti  
a liberis ortae sint gentibus.

§. 53.

*Quartum.*

Neque subditum facile dixeris prin-  
cipem, qui de imperio, vt statione sua  
per vitam adhuc discessit, licet intra regni  
antea sui fines versetur, nisi aetu quodam  
contrario commonistratum dederit, se  
subditi nomen non recusare.

§. 54.

*Quintum.*

Ex eis, quos *Vassallos* dicunt, si  
quis subiectus principatui non est, hunc  
ad subditos pertinere tibi persuadeas no-  
lim. Iusurandum et quod homagii et  
feudi ergo exigitur quam maxime inter se  
distant.

distant. Prius obedientiam subditi declarat Principi exhibendam, posteriore Vallus domino feudi fide obstringitur feudali, cui nulla submissione opus est.

### §. 55.

#### *Quomodo promissa seruanda.*

In quounque casu, quo nobis datur copia ineundi pacti, vel iam initij res agitur, populus illi, qui maiestatis vim sustinet, omne praeslet officium necesse est.

His concessis patet mutuam vtriusque communionem, quae intercedat, adesse, adeoque secundum omnem hominum memoriam nullius religionis ac fidei esse eum, qui datam alteri fidem nunquam liberet; uti vicissim, cum mortuorum nulla sint iura, mortui ad instar ille haberetur per vitam, qui fidem non repeteret sibi ab altero praestandam: vigilantibus enim cum iura scripta sint, ne-

mo reprehendet eum, qui ius sibi competens quovis modo persequatur.

Exceptio tamen est admittenda, quam inueniimus optime determinatam auctore Conringio: „Fatendum tamen fortassis est, inquit: homini compertae leuitatis, et cui nihil tuto credi potest prudentem quemque non teneri suo summo cum damno fidem semper integrum praestare, utpote cum fidei vinculum utrinque paris esse debeat roboris, et utrinque expectari id, quod promisum est, debeat eadem securitate.“ v. *Animadu. polit. super Machiauelli principem.*

### §. 56.

#### *An et quando Maiestas limitata.*

Ea autem obueniente rerum condizione, qua pacisci cum maiestatis iure praedito nobis licet, sed nondum his ad exitum perductis, quae possemus inire, pactis, populo quaedam aequalitatis species

cies et si dicere fas est, renitendi quodammodo quoddam ius relictum ipsi esse videtur.

Alia vero longe singulorum quorumlibet subditorum conditio esse solet. Ut enim pars totius singuli omnes subditi sunt, sic si forte maiestatis iure ornatus in quendam subditum, sigillatim spectatum iniuria vtitur, nemini facile in mentem venerit, populum vniuersum in offendam incurrisse, quod si est, vt solet fieri perraro, tum non omne resistendi ius denegari posse cum debito tamen moderamine vel potius quaedam remonstrandi facultas populo vindicari videtur.

Quas quidem in principatu occurrentes exceptiones *patra* si vocaueris *fundamentalia*, non errabis, quae si collecta in vnum fuerint, *Ius publicum particulare* constituant.

Id vero adhuc discriminis interest Iuris publici vniuersalis et Iuris publici particularis, vt prius non varium, non

F 3 muta-

mutabile vñquam reperiatur, idque ex eo capite, quod vniuersalia statuum iura cuiuscunque regni praebet, quae omni nempe regno, vt diuinitus naturae prae scripta conueniant et similia deprehendantur; secus se res habet in *Particulari*, quod non expers est mutationis non solum in variis variorum regnorum conditionibus, sed et in uno eodemque regno fere prout tempora mutatur, et diuersi saepe generis euadit.

De eo valet, quod *Vlpianus* de origine iuris ciuilis affirmat, dum dicit:  
 „Ius ciuale neque in totum a naturali vel gentium recedit, nec per omnia ei servit. Itaque cum aliquid addimus vel detrahimus Iuri communi, Ius proprium id est Ciuale efficimus.“ v. L. 6. ff. de I. et I.

Imperiis eiusmodi pacta admittentibus, singulare attribuitur cognomen, de cuius origine nec non indole alibi latius agendi dabitur occasio, quando scilicet de regiminis cuiuscunque forma et insti tuendi

*tuendi illius modo et ratione, nec non de  
commodis et incommodis et de illis rite  
administrandis, deque detrimentis, quae  
obuenire solent, quasi quibusdam morbis,  
maligniori quodam fato enatis dicemus  
sententiam nostram peculiari libello.*

§. 57.

*Quo in casu non licet subditum esse vel  
fieri.*

Dantur deinde casus, quibus nullo  
fere modo pacta iniiri queunt, adeoque  
subditum ibi euadere velle forte nefas es-  
set; si qui eiusmodi subnascantur, tum  
populo ius aliquod resistendi non penitus  
adimi posse appareat.

Quamuis tot tantaque iura ex status  
naturalis conditione alias sibi conuenien-  
tia perdiderint atque suis quasi bonis ces-  
serint homines; attamen ob eosdem sem-  
per omnis gentis humanae fines perma-  
nentes, eadem ad illos impetrando ad-  
iumenta eo res redire nunquam poterit,

F 4

quin

quin quiuis ex illis omnibus suam huma-  
nitatis praerogatiuam aequali iure obti-  
neat, atque prae se ferre videatur: quid-  
quod vti cuiuis vel summo imperanti cun-  
cta officia reflant praestanda; sic nulli  
subditorum vel minimo causa sua omnino  
cadere accidet, quam ex humanitatis sen-  
su nunquam exuendo lubens meritoque  
postulare poterit. Cuius generis in me-  
dium proferre liceat quosdam qui incide-  
re possent casus.

Sic nulli pacto locus est cum altero  
ineundo, eo fine, vt vitam pro lubitu  
quoquis temporis momento mihi adimat,  
hoc enim, si concessum esset, manus si-  
bi violentas inferre fas quoque videretur.  
An autem ius fasque sit quid, quando  
quis cum recta ratione insaniens illud sus-  
ceperit, cuiuis vel me non monente iam  
patet. Atque adeo si respexeris ad hunc  
perrarum casum, nunquam vere in ani-  
mum iuduxeris tibi, quo subditus eo  
fine inuadas.

Idem

Idem vero non habetur, si, ut scelera-  
tus imperii ciuis pacis externae semper  
conseruandae, facinore comisso fulcra  
subruere tentare, tum maiestatis est  
per modum iudicij me vita plane inutili  
priuare; ense enim rescindendum est, ne  
pars sincera trahatur.

§. 58.

*Altera exceptio.*

Quod si ergo non conueniat cuiquam  
de sua ipsius vita pacisci, necessaria con-  
secutione apparet, ne de necessariis qui-  
dem vitae conseruandae subsidiis pactum,  
quo ea subtrahi possint sibi, ineundum  
licere.

Nec inique Hobbes hac de re iudi-  
cassem, si quid perspicio, intelligere mihi  
videor. „Sicut necessarium erat, inquit:  
„ad vniuersiusque conseruationem, vt  
„de quibusdam iuribus suis cederet, ita  
„non minus necessarium est ad eandem  
„conseruationem, vt iura quaedam re-

F 5 „tineat,

„tineat, nimirumque ius corporis tueri,  
 „di, ius fruendi aere libero, aqua et  
 „caeteris omnibus vitae necessariis.“ v.  
 C. 3: §. 14.

Cum Hobbesio conuenit Puffendorf,  
 inquiens: „Impossibile est, Deum velle,  
 „vt ego innocens me bonis meis spoliem.“  
 v. I. N. et G. l. 4. c. 2. §. 8.

## §. 59.

*Obiectio.*

Verum enim vero omni nobis tempore id iniunctum est officii, vt quicquid carum nobis sit, an autem carius quid patria forte extiterit, quae omnes omnium amores complectitur? id omne eo conferamus oportet, vt saluti publicae in discrimen adductae succurramus: dulce enim et decorum est pro patria mori.

Neque difficile factu erit, nam si plures vni oneri ferendo sese accommodent, nihil tam graue est, nihil tanti laboris et operis, quod non tandem aliquid quando

quando ad exitus perueniat exoptatissimos, si constantes aequae ac fortes non prius cessemus vsque dum patriae suum decus suumque pretium sit statutum atque redditum.

Si vñquam vere de patria certe valebit illud poetæ:

Tu mihi perfugium, tu mihi portus eris.

Neque idonea ratione carere quiuis facile profitebitur, qui secum modo reputet, quanti optimus quisque aestimet dulce natale solum, quanto desiderio teneatur idem eius si exul viuere cogatur; quotne labores exantlare molestiasque ferre soleat vñusquisque benevolens ad oppressam omni modo liberandam patriam. Quam sincerus denique fit amor alterius erga alterum, qui eiusdem reperiatur ciuitatis. Quae si probe perpenderis, nonne vniuersiusque naturae inditum erga patriam affectum esse haud difficulter concesseris.

§. 60.

*Tertia exceptio.*

Porro quaecunque sint credenda, dogmata, veritas et falsitas non cadunt vñquam in paciscendi rationem, quoniam excedit modum humanae potestatis, cogitationis poenas statuere et conscientiis legem dare.

Itaque subditum eo in casu euadere velle, idem esset ac repugnante et prorsus inuita natura quid agere.

Triste huius rei testimonium praebent famosae et nefando quidem alias auditae Parisiorum nuptiae cruentae, quas *Thuanus* ille grauis historiae olim scriptor ad graecas potius calendas referri et relegari cupit, quam vt illae in memoriam reuocari vñquam mereantur.

Cum *Thomas Morus* ille constans atque ad facta vsque verax vir iussu regis sui Henrici VIII. praeter plures alios nil tale merentes supplicium ultimum ferre cogeretur, haec adhuc ex publico loco  
verba

verba ad regem fecit, quae per suae mortis experimentum perspicere posset, nullam vim pati externam recte factorum conscientiam, quod adeo praeter necessitatem rex ille adhibere tam saepe tamque intempestive solitus erat.

§. 61.

*Confirmatio exceptionis.*

Ad interna quod attinet nulli praeter Deum de illis iudicium ferendi competit, nec fuit vlla homini vnquam in ea potestas, connata ergo conscientiae libertas, nec maiestatis iussibus obsequens ullis, quam si quis cogere vellet, ne is in propria viscera seuire videretur?

Bene *Grotius* de hac re: „Leges humanae vim obligandi tum demum habent, si latae sint ad humanum modum, non si onus iniungant, quod a ratione et natura plane abhorreat. Et ideo leges et praecepta specialia, quae tale quid aperte prae se ferunt pro legibus

„gibus haberi non debent.“ v. *Ius Belli et Pacis* l. 3. c. 23.

Caeterum de hac re consuli mèrentur  
*Bayle* Commentaire philosophique sur  
 ces paroles de Jesu Christ: Con-  
 train d' entrer, ou Traité de la  
 Tolerance universelle.

*Puffendorf* de habitu religionis Christianae ad statum ciuilem.

*Werenfels* de iure in conscientias ab ho-  
 mine non usurpando.

*Noodt* de religione ab imperio iure Gentium libera.

### §. 62.

*Conscientia vis externae expers est.*

Cum propter innumeras vitae hu-  
 manae conditiones, in quas quasi ex  
 transuerso coniiciuntur homines, tum  
 propter officia hominis, quae praeflare  
 tenetur, varia et multiplicia, vix ullo  
 pacto fieri potest, ut leges imperantium  
 latae

latae litem omnem, quae suboritur dirimere, neque semper iusti iniustique limites ponere queant.

Ideo *Grotium* recte statuisse apparet, quanto negat: „puniendos actus virtutibus oppositos, quorum natura omnem repudiat coactionem, in quo genere sunt misericordia, liberalitas et gratiae relatio.“ v. ibid. l. 2. c. 20. §. 20.

Quod si hoc est, quanto minus ille, qui fasces imperii tenet, cum *ναρθίσιγνωσης* non sit, animi propositum cuiuslibet hominis exploratum habere legibusque circumscribere poterit.

Quicquid vero ad Dei cultum spectat, ut templa frequentare, sacris iniciari vel omne aliud, quod ad cultus divini actum, qui intra regni fines moris est, externum pertinet, non licet nobis subiectionem detrectare. Sicut hanc subiuimus, ita et in ethicis recusanda non est. Nonne enim maiestatis est ab ebrietate, vaga libidine quemcunque si depre-

deprehendatur in posterum retinere, hancque turbatam viuendi rationem vel ipsis poenis adhibitis coercere?

§. 63.

*Vltima exceptio.*

Tandem nulla pacifcendi potestas relinquitur iis in casibus, qui a collisione nomen habent; et qui ex sapienti omnium rerum nexu eo redcunt, ut per adhibita alias consueta adiumenta homines ad finem, nimirum vitae suae conseruationem, vix ac ne vix quidem pertingant, veluti moderamen inculpatae tutelae, furtum necessarium aliaque permulta id satis superque euincunt.

Quod si vero quis hoc in dubium reuocare audeat, legat si lubet *Grotium* sic loquentem: „Proprietas videbatur „absorpsisse ius illud omne, quod ex re- „rum communi statu nascebatur: sed „non ita est. In grauissima necessitate „reuiuiscit ita illud pristinum rebus vte- „di,

„di, tanquam si communes mansissent.  
 „Res omnes distinctae cum benigna qua-  
 „dam receptione primitiui iuris videntur.“  
 v. l. 2. c. 2. §. 6.

Efficitur inde necessaria quadam con-  
 secutione, subditi notionem omnino hic  
 fere abesse.

### §. 64.

*Quatenus populo ius resistendi principi  
 competit.*

Vnum hoc addere multis lubet de  
 resistendi iure, populo contra principem  
 concessu disputatis iam quæstionibus,  
 nullum autorum quoad eius fieri potuit,  
 resistendi modum et ambitum strictius  
 vberiusque secundum omnes, quibus re-  
 cte circumscribitur, fines, nisi *Barclaium*  
 illustrasse: „Si Rex, inquit: non in  
 „singulares tantum personas aliquod pri-  
 „vatum odium exerceat, sed corpus  
 „etiam Reipublicae, cuius ipse caput est,  
 „id est totum populum vel insignem ali-  
 „quam eius partem, immani et intole-

G „randa

„ randa saevitia seu tyrannide diuexet: po-  
 „ pulo quidem hoc casu resistendi ac  
 „ tuendi se ab iniuria potestas competit:  
 „ sed tuendi se tantum, non etiam in  
 „ Principem inuadendi: et resistendae in-  
 „ iuria illatae, non recedendi a debita  
 „ reuerentia propter acceptam iniuriam:  
 „ praesentem denique impetum propulsan-  
 „ di, non vim praeteritam vlciscendi ius  
 „ habet. Horum enim alterum a natura  
 „ est, vt vitam scilicet corpusque tueamur.  
 „ alterum vero contra naturam, vt infe-  
 „ rior de superiore supplicium sumat,  
 „ quod itaque populus malum, antequam  
 „ factum sit, impedire potest, ne fiat,  
 „ postquam factum est, in regem autorem  
 „ sceleris vindicare non potest. " v. *De re-  
 gno et regali potestate contra Monarcho-  
 machos.* Paris. 1600. 4. l. 3. c. 8. p. 159.

Opprobrio nunquam ex animis de-  
 lendo Anglis sane est, quod illum, qui  
 ius vitae necisque alias habet, capite trun-  
 cari passi sunt: nostrum nunc non est,  
 causas

causas rimari quid sit quod caput extulerint iussisque eius obtemperare recusauerint. Hoc tamen ex decreto Anglorum satis superque patet, nullas ibi contineri idoneas agendi rationes, quae quantoque magis robore destituta reperiuntur, tanto minus excusati peccasse in regem suum Anglos redarguunt; cum ipsum sputo commaculassent, per latus petiissent atque militibus conniuissent, quo fumus Nicotianae herbae largiter efflaretur regis maximo cum fastidio, tandemque quod omni aeuo probrosum est, subditi ad instar publico in loco vita priuari illum iussa dedissent satis iniqua nec posteris probanda.

Quomodo autem singuli se se gerant eo in statu collocati, quo subiici legibus licet nemini, quamuis ut tales tum spectentur ab imperante, hoc ex *Dionysio Carthusiano* dilucidius, ut opinor patet. „Cum tota, inquit: communitas „sub uno Principe viuens sit quasi unum

G 2

„ cor-

„corpus, ideo ciuitates eiusdem Princi-  
 „patus debent mutuo esse confoederatae  
 „in bono, atque succurrere mutuo, sic-  
 „vt in corpore naturali humano vnum  
 „membrum subuenit alteri. Id circo-  
 „si princeps aut eius officiarii seu nobi-  
 „les exercent tyrannidem nimiam, vr-  
 „bes abusui potestatis deberent resistere,  
 „iura sua defendere atque oppressis  
 „aut opprimendis succurrere. Nec  
 „tamen ob hoc deberent se a Principe  
 „suo omnino auertere, nec contra  
 „eum inordinate procedere.“ v. *De  
regim. Politiae art. 19.*

### §. 65.

#### *Conclusio.*

Quae quidem vniuersa norma, ad  
 quam omnes atque singuli suas agendi  
 rationes; quatenus cum proprietatibus  
 rerum consentiant, componere tenen-  
 tur, legum Reipublicae causa latarum  
 complexum sistit. Iam vero vi harum  
 legum,

legum, ad quas regnum est constitutum, partium cuiuslibet membra est, nunquam a latae legis norma ne latum quidem vnguem recedere, atque ei, qui maiestatis decore exsplendescit, data quauis occasione pari veneratione ac fiducia se submittere, tanquam omnis pacis publicae flatori atque arbitro. Sic quilibet partes muneris sibi demandati explebit, sic fidem datam liberabit.

Vti summa rerum potestas, qua gaudet imperans, recte administrata obsequii gloriam a populo parandam suo sibi exigit iure: ita vt quisque lubentissime sese parendi lege ei subiecerit, sic tutela quaevis praesidiumque firmum subiectos vicissim maneat necesse est. Quo certius igitur est leges omnibus praeualere et praestare, eo magis necessarium habetur, vt cuncti lubentes meritoque praescriptam sibi normam perpetuo sequantur.

Quod

Quod quidem tanto magis optimus  
quisque curae cordique semper habebit,  
quanto felicius optatiusque est, me sub  
imperio *Friderici Guilielmi II.* versari  
de quo non male illud *Plinii* dixeris:  
„Vnum ille se ex nobis, putat: nec  
minus hominem se, quam hominibus  
praesesse meminit.“





